A 91. 21. fol. 6.

tonus. Est inter aliquas voces etiam a se tertia, cum ditonus, id est duo toni, ut a C ad E; cum semiditonus, qui habet tantum tonum et semitonium, ut a D in F et reliqua. Diapente vero uno tono maior est diatessaron, cum inter quaslibet voces tres sunt toni et unum semitonium, ut ab A in E, et a C in G. Diatessaron vero est, cum inter duas voces quocumque modo duo sunt toni et unum semitonium, ut ab A ad D, et B in E, et reliqua. Habes igitur VI vocum consonantias, id est tonum, semitonium, ditonum, semiditonum, diatessaron, diapente. In nullo enim cantu aliis modis vox voci coniungitur, vel intendendo vel remittendo. Cumque tam paucis (i. finibus) clausulis tota armonia formetur, utillimum est altius eas memorie commendare, et donec plene in canendo sentiantur et cognoscantur, ab exercitio numquam cessare, ut his velut clavibus habitis canendi possis peritiam sagaciter idoneque facilius possidere.

DE DIAPASON ET CUR VII SINT NOTE.

Diapason autem est in qua diatessaron et diapente iunguntur. Cum enim ab A in D sit diatessaron, ab eadem D in a acutam sit diapente, ab A in alteram a diapason existit. Cuius (diapason) est eandem litteram in utroque habere latere, ut a B in ♮, a C in c, a D in d et reliqua. Sicut enim utraque vox eadem littera notatur, ita per omnia eiusdemque (i. unius) qualitatis perfectissimeque similitudinis utraque (vox) habetur et creditur. Nam sicut finitis septem diebus eosdem repetimus, ut semper primum et octavum eundem dicamus, ita octavas semper voces easdem figuramus et dicimus, quia naturali eas concordia consonare sentimus, ut D et d. Utraque enim tono et semitonio et duobus tonis remittitur, et item tono et semitonio et duobus tonis intenditur. Unde et in canendo duo aut tres (vel IIII) cantores aut plures, prout possibile fuerit, si per hanc speciem differentibus vocibus eandem qualibet antiphonam incipiant et decantent, miraberis te easdem voces diversis locis sed minime diversas habere, eundemque (cantum) grave et acutum et superacutum tam unice resonare hoc modo:

g a a · a a ♮ ♮ ♮ a · a a
G a a · G a a ♮ c ♮ a G · a a
Γ A A Γ A A B ♮ B A Γ A A

Summi regis angelorum michahel.

Item si eandem antiphonam parti gravibus, parti acutis sonis cantaveris, aut quantumlibet per hanc speciem variaveris, eadem vocum unitas apparebit. Unde verissime poeta dicit: Septem discrimina vocum. Quia et si plures fiant, non est aliarum adiectio, sed earundem renovatio et repetitio. Hac nos de causa omnes sonos secundum Boetium et antiquos musicos VII litteris figuravimus, cum moderni quidam nimis incaute IIII(or) tantum signa posuerint, quintum et quintum eodem ubique caractere figurantes, cum indubitanter verum sit quod quidam soni a suis quintis omnino discordent, nullusque sonus cum suo quinto perfecte concordet.

DE INTERPRETATIONE.

Ut autem de divisione monocordi in paucis multa perstringam, semper diapason duobus ad finem passibus currit, diapente tribus, diatessaron IIII(or), tonus vero VIIII. Que quanto passibus numerosiores, tanto spatio breviores. Alias vero divisiones preter has IIII(or) invenire non poteris. Diapason autem interpretatur de omnibus, sive quod omnes habeat voces, sive quod antiquitus cithare VIII per ea fiebant cordis. In hac specie gravior (prima) vox duo habet spatia, ut A et a (acuta unum). Diapente dicitur de V. Sunt enim in eius spatio voces V, ut a D in a, sed gravius ei vox tria habet spacia, acuta II. Diatessaron sonat de IIII(or). IIII(or) enim habet voces, et gravior eius vox quattuor habet spacia, acuta vero III(or), ut a D in G. Has IIII species symphonias, id est suaves vocum copulationes, memineris esse vocatas, quia in diapason diverse voces unum sonant; diapente vero et diatessaron diaphonie id est organi iura possident, et voces utcumque similes reddunt. Tonus ab intonando id est a sonando nomen accepit, qui maiori voci VIIII, minori vero VIII passus constituit. Semitonium et ditonus et semiditonus, et si voces ad canendum coniungunt, divisionem tamen nullam recipiunt.

DE AFFINITATE VOCUM.

Cum autem VII sint voces, quia alie ut diximus [illegible]

A 91 21
1
STADT-BIBLIOTHEK BERN
(STADT- & HOCHSCHUL-BIBLIOTHEK)

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 91.21, 1r – Guido Aretinus, Micrologus; Regulae rhythmicae
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-57h6/5279/50064)